

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1786

**Auteur(s) :** Jean sans Terre, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1200

**Lieu d'émission :** Argentan

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean, roi d'Angleterre, confirme l'échange convenu, entre l'archevêque Gautier de Rouen et le roi Richard [Ier], d'Andely contre Dieppe, Bouteilles, Louviers, la forêt d'Aliermont et les moulins de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XXIX, col. 30-31.

Texte établi d'après a

Johannes, Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, etc. salutem. Sciatis nos concessisse, et præsentī charta confirmasse, Deo et beatæ Mariæ, et Waltero archiepiscopo Rotomagensi, et successoribus ejus in perpetuum, escambium factum inter bonæ memoriæ regem Ricardum fratrem nostrum, et ipsum archiepiscopum, de Andeliaco, pro quo recepit idem archiepiscopus villas de Dieppa, et Buteilles, et de Loveres, et forestam de Aliermont, et molendina Rotomagensia, cum omnibus pertinentiis eorum, sicut charta prædicti regis fratris nostri testatur, cum determinatione querelarum quæ exortæ sunt ex tenore prædictæ chartæ fratris nostri inter nos, et prædictum archiepiscopum, videlicet de prisa vini apud Dieppam, de Haya de Dampetra, de vivario apud Rotomagum per calceiam, de placitis ad satham pertinentibus, de retrobanno. De prisa vini apud Dieppam sic erit : quia publice testificatum fuit coram nobis et prædicto archiepiscopo, quod prisa illa injuste capta fuit, et capi solebat, tam ex parte nostra quam ex parte archiepiscopi, concessum est, quod nunquam de cetero neque tempore guerræ, neque tempore pacis, a nobis vel heredibus nostris, vel prædicto archiepiscopo, vel successoribus suis capietur. De Haya de Dampetra sic erit : quod sive ipse archiepiscopus jus habuit in Haya illa per cartam prædicti regis fratris nostri, sive non ; nos eam ei et successoribus suis in perpetuum quittavimus, ne occasione illius Hayæ possit in posterum suboriri contentio inter nos vel heredes nostros, et ipsum archiepiscopum vel successores suos. De vivario Rotomagensi sic erit : quod nos ipsum vivarium et piscariam ejusdem vivarii, in manu nostra retinemus, ita quod nihil de aqua vivarii facere possimus, ad damnum et nocumentum molendinorum prædicti archiepiscopi. De placitis ad satham pertinentibus sic erit : quia ecclesiam Rotomagensem super omnes ecclesias Normanniæ venerari debemus, diligere et tueri, sicut matrem omnium ecclesiarum Normanniæ, et sicut illam unde ducatus nostri honorem accepimus, et antecessores nostri, sive ipsa ecclesia Rotomagensis jus habuit prius in placitis illis, sive non ; nos ad honorem Dei et beatæ Virginis, concessimus ipsi archiepiscopo et successoribus suis in perpetuum, omnia placita illa et omnem justitiam placitorum : ita tamen quod justitia fiat per usum capitalis senescalli nostri Normanniæ, si præsens fuerit, vel proximi baillivi, cum ad

hoc per archiepiscopum vocatus fuerit, nihil ibi facientis, nisi ut tantummodo videat justitiam fieri. Emendationes autem omnes et misericordiae, ex praedictis placitis provenientes erunt ipsius archiepiscopi : et si baillivus noster ad vocationem ipsius archiepiscopi non venerit, erit in misericordia nostra ; et nos vel senescallus noster aliquem mittat sine dilatione, cum inde requisitus fuerit, qui videat justitiam fieri in curia ipsius archiepiscopi. De retrobanno Normanniae sic erit : quod cum oportuerit submoveri retrobannum secundum consuetudinem terrae, archiepiscopus per nos, vel per litteras nostras, vel per capitalem senescallum nostrum, vel per litteras ejus submoneri debet ; et ipse archiepiscopus submonebit retrobannum, secundum consuetudinem terrae, et ducet vel duci faciet : et si retrobannum plenarie non venerit, justitia erit archiepiscopi de illis qui non venerint, et emendationes et echaetae ; et archiepiscopus non poterit relaxare justitiam sine nobis. Praeterea de passagio de Diepa sic erit : quod omnes illi qui attulerint litteras nostras de passagio ad forum nostrum, passagium habebunt solvendo forum nostrum. Testibus Radulfo comite Cestriae, Willelmo Marescalco comite Pembrocii, comite Roberto Sagiensi, Willelmo de Homet constabulario Normanniae, Rogerio de Thoeny, Roberto de Harecurt, Joanne de Pratellis et Petro fratre ejus, Roberto de Turneham. Datum per manum Huberti Cantuariensis archiepiscopi, cancellarii nostri, apud Argentomum, 7 die Junii, regni nostri anno secundo.